



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Theologia Moralis, Seu Resolutio Casuum Conscientiæ**

Juxta Sacram Scripturam, Canones, Et Sanctos Patres

Continens Tractatus de Sacramentis in genere; de Baptismo, de Confirmatione, Eucharistia, Sacrificio Missæ; Constitutionem Innocentii XII. super celebratione Missarum, variaque alia decreta

**Genet, François**

**Parisiis, 1703**

Q. 2. In quo sita est essentialis mutatio formæ?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40834**

Quia nimirum in voto Baptismi antea concep-  
to sufficiens intentio Moralis, & interpretativa  
perseverat, cum quibus tamen stat in reci-  
piente vera intentio recipiendi Baptismum,  
modò expressè non contradicat. Unde adultus  
receptioni Baptismi expressè contradicens, ni-  
hil recipit, quia tunc nullam habet intentio-  
nem recipiendi Baptismum, nec etiam inter-  
pretativam, quæ sufficeret ad hoc, ut validè  
reciperet.

## CAPUT V.

*De mutationibus quæ accidere possunt  
materiae formaeque Sacramentorum.*

*Quest. 1.* QUÆNAM mutatio in mate-  
ria & forma Sacramentorum,  
reddit Sacramentum invalidum?

*Resp.* Certum est, omnem mutationem sub-  
stantialem, tum in materia, tum in forma  
Sacramentorum, reddere Sacramentum in-  
validum. Quod quidem probatur autoritate  
sancti Augustini relati in Canone: *Detrahe,*  
*inquit, verbum, & quid est aqua? Accedit*  
*verbum ad elementum, & fit Sacramentum;*  
Hoc est, detrahe formam à materia Baptismi  
seu verbum ab aqua, nullum erit Sacramen-  
tum: quibus verbis satis constat mutationem  
omnem substantialem sive materiae sive formæ  
Sacramentum nullum reddere.

*Quest. 2.* In quonam sita est essentialis mu-  
tatio formæ Sacramentorum?

*Resp.* Cum verba, inquit Divus Thomas,  
operentur in Sacramentis quantum ad sensum  
quem faciunt, oportet considerare, utrum per  
talem mutationem tollatur debitus sensus ver-  
borum;

*Can. Detrahe.*  
*1. q. 1.*

*D. Th. 1. p.*  
*q. 60. art. 3.*  
*in corp.*

borum ; quia si sic , manifestum est , quod tollitur veritas Sacramenti. Manifestum est autem quòd si diminuaturs aliquid eorum quæ sunt de substantia forma Sacramentalis , tollitur debitus sensus verborum ; & ideo non perficitur Sacramentum. Vnde Didymus dicit in lib. 2. de Spiritu-sancto : Si quis ita baptizare conetur , ut unum de prædictis nominibus prætermittat ( scilicet Patris & Filii & Spiritus-sancti ) sine perfectione baptizabit.

Quæst. 3. Quænam est accidentalis mutatio formæ Sacramentorum adveniens , quæ eorum validitatem non impedit ?

Resp. Cùm sensus verborum , ut diximus ex Divo Thomá , sit essentia formæ Sacramentorum , mutatio vocatur accidentalis , quando verba constituentia formam Sacramentorum , per eam mutationem non amittunt verum sensum , verumque significatum : Si subtrahatur aliquid , inquit Divus Thomas , quod non sit de substantia forma , talis diminutio, D. Th. 3. p. q. 60. art. 3. in corp. non tollit debitum sensum verborum ; & per consequens , nec Sacramenti perfectionem. Sicut in forma Eucharistia , quæ est , Hoc est enim Corpus meum : Ly enim sublatum , non tollit debitum sensum verborum , & ideo non impedit perfectionem Sacramenti.

Quæst. 4. Si aliquis propter ignorantiam linguæ Latinæ , sive ex negligentia , sive aliquo alio defectu naturali , corrumpere ita verba Sacramentorum , ut secundum modum , quo ab eo proferrentur , non amplius in rigore eum sensum conservarent quem efficere deberent tanquam forma Sacramentorum , Sacramentum foret-ne validum. v. g. Si quis baptizando diceret : In nomine Patria , & Filia & Spiritua sancta ?